(6

DE

MEDICAMENTORUM VIRTUTIBUS
RECTE DIJUDICANDIS

DISSERTATIO

MAURITII BUFALINII

CAESENATIS

MEDICINAE DOCTORIS

QUONDAM CLINICES INSTITUTORIS EXTRAORDINARII

IN ARCHIGYMNASIO BONONIENSI.

TICINI REGII 1823.

Ex Typ. P. Bizzoni Bolzanii success.

I. R. Universitatis Typograph.

Medico

Ruberti R.° Rev.° ...

DE MEDICAMENTORUM VIRTUTIBUS RECTE DIJUDICANDIS.

1. Gravissimam illam, ac pernecessariam medicinae partem, quae in auxiliis bonae, vel adversae valetudinis exponendis tota versatur, diu multumque inchoatam, ac plane rudem, et vulgarem jacuisse omnibus certum esse, exploratumque censeo. Nostris autem temporibus, quae praeceptis, institutisque philosophiae liquet abundare, cum caeterae disciplinae omnes, tum haec ipsa medicinae pars multo subtiliore studio coepit agitari; eam tamen satis diligenter excultam, et ab omnibus erroribus vindicatam dicere minime ausim. Re quidem vera si quis rationes omnes, ac vias perspiciat, quas medici in quaerenda medicamentorum virtute aut olim inierunt, aut modo ingressi sunt, illud cognoscet

profecto eam non ex rei veritate, sed ex praeconceptis in pathologia opinionibus dijudicari. Quemadmodum enim pathologi morborum discrimina non scientia comprehendunt, sed conjectura prosequuntur, ita qui ad unumquodque morborum genus remedia accomodare student, eorumdem efficientias conjectando definiunt, atque dispertiunt. Cum enim morbi non sit certa notitia, ad eum neque certum reperiri remedium potest: ita morborum naturae, quam quisque sibi animo finxerit, contraria in remediis, quae ad ipsos profecisse experientia docuerit, virtus existimata. Hoc pacto ab excogitata morborum natura inlata plerumque fuit medicamentorum virtus, atque e pathologia tota profluit ratio materiam medicam pertractandi.

2. Hippocrates cum morbos sola natura profligari credidisset materiem, ex qua gignuntur, egestionem moliente, in eorum quoque curatione naturae tantum obsequi praecipiebat, illius salutares motus adjuvare, easque ciere excretiones, quas ad efficiendas essent imparia naturae molimina. Itaque solebant antiquiores ex Hippocraticis et alvum solvere, et vomitum excitare, et sanguinem mittere, ut

nimius ejus cohiberetur impetus; cujus quidem generis erant auxilia pene omnià, quae in curatione morborum usurpabant. Posteriores vero ab hac magistri temperantia, atque naturae observatione aliquantulum recesserunt; quippe qui ex Democriti elementorum doctrina, atque ea ipsa, quam de praecipuis humoribus professus est Hippocrates, omnem hauserunt medendi rationem; unde medicinam nil aliud esse nisi adpositionem, aut subductionem persuasum eis omnino fuit, remediaque in *calefacientia*, et *refrigerantia*, *humectantia*, et *exsiccantia* per eosdem diducta sunt. Quae quidem remediorum discrimina, etsi vana, et futilia, totaque hypothesibus innixa, Galenus tamen non solum sectatus est, sed etiam amplissimo doctrinae apparatu explicavit; adeo ut usque ad Helmontium tamquam universae materiae medicae fundamenta habita sint, in eamque sententiam qui longo hoc temporis spatio maxime floruerunt, Eclectici, Episynthetici, Pneumatici primum, deinde Arabi recta descenderint. Quamvis enim Arabi chemiam, et pharmaceuticam artem excolere coepissent, nihil tamen de remediorum virtute apud eos invenies, quod et

a Graecis prolatum non sit: id quod satis manifestum fore unicuique non dubito, qui Serapionis junioris opus, quod extat, de materia medica consulere velit. Si quid autem rationale tractare susceperint, totidem per ambages opinionum vagantes, longe ab omni veritate, et experimentorum observatione aberrarunt. Hinc factum est, ut Hohenheim magna disputatione quaesierit, utrum rėmedia, quae dissolvunt, attrahant humores non aliter, atque ut magnes ferrum ducit, an in viscera, quae obstructione laborant, permeant, ibique humores difluant; Alkendius vero docuisset ex geometrica proportione, et ex armonia musicali medicamentorum conjectandam esse agendi rationem.

3. Sed cum apud Graecos, ut verbis utar Celsi, majore studio literarum disciplina agitari coepit, primoque medendi scientia, sapientiae pars habebatur, longe etiam clarissimi auctores rerum naturae sibi cognitionem vindicaverunt, tamquam sine ea, trunca et debilis medicina esset. Post eos Serapion primus omnium nihil hanc rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professus, in usu et experimentis eam posuit, eodem Celso auctore.

Sic medici in duas omnino partes distracti sunt, alii rationalem medicinam, alii empiricam profitentes. Primam methodici tradiderunt, qui cum in morbis quid sit commune tantummodo animadverterent, horum tria genera esse contenderunt, unum adstrictum, alterum fluens, tertium mixtum; atque proinde remediis solam inesse virtutem vel *relaxandi*, si corpus esset adstrictum, vel *comprimendi*, si solutione laborasset: in tertio autem genere vehementiori malo occurrendam.

4. Praetereo qui aliquanto post astrologiae, et divinationis fabulis medicinam impleverunt, agyrtae quidem, non medicis bene congruentibus; in quas et alchymiam serius excultam referendam esse quis hodie revocaret in dubium? Sed a tanta rationis ignominia novi exinde in medicinam dimanarunt errores; nam chemica tantum vi remedia in corpus nostrum agere gravissimi satagerunt demonstrare auctores, ex his principes Wan-Helmontius, Paracelsus, et Sylvius. Quorum praeceptis cum morbi essent ex fermentis, vel ex acidis, vel ex alkalibus, vel ex bilis et pituitae immutatione, vel ex humorum putredine, ita et remedia, quae *acidum* vel *alkalim*

corrigant, quae *fermenta* vel *excitent*, vel *compescant*, quae *bilis*, et *pituitae immutationem* tollant, quae denique *humorum arceant putredinem*, excogitata sunt, quibus et addi debent, quae acidum vel alkalim *absorbeant*, vel *involvant*, quaeve nimis subtiles, et pungentes humores *incrassent.*

5. Cartesius vero, qui in omni humana disciplina nova contendere ausus est, cum primus aetheris doctrinam invenisset, et mathesin mirabili quadam ingenii vi excoluisset, non solum iis, qui chemiae institutis in re medica abutebantur, uberiorem argutandi segetem suppeditavit, sed etiam mechanicae sectatoribus viam patefecit. Qui cum corpus humanum nonnisi mechanicae, et hydraulicae legibus obnoxium credidissent, ex iisdem secundae, et aegrae valetudinis, nec non virtutis, seu efficientiae, quae remediis continetur, omnem aeque rationem petiere. Siquidem cum ex nimia, vel deficiente solidorum actione, ex retardato nimis, vel accelerato fluidorum motu, ex viribus centrifugis, vel centripetis, ex aucta, vel diminuta sanguinis, aut lymphae densitate, ex eorum statione, vel attritu, similibusque ex caussis morbos esse opinaren-

tur; idcirco et medicamina vel *adstringere*, vel *relaxare*, vel *attenuare*, vel *incrassare*, vel *deobstruere*, vel *temperare*, vel *diluere*, vel *derivare*, vel denique *revehere* crediderunt. Qua in re tandem adeo medici de recta declinarunt via, ut ex his quidam a sola partium configuratione, vel ex earum effluviis omnes conjiceret remediorum virtutes, eaque diceret adstringentia, seu ad humorum motum retardandum idonea, quae particulis scaterent ramosis, et aduncis, contraque emollientia; quae levigatas, solventia vero, quae eas haberent asperas, et angulosas. Waldshmidtius vero mechanicae, et corpusculorum doctrinae clarissimus fautor ita medicamentum definivit, quod sit substantia aliquantulum corporis poris adversa, quae figura, mole, flexibilitate, rigiditate, ramositate, atque mollitiae particularum, et ope etiam aetheris, qui in earum poros continuo permeat, sanguinem, et humores ab ipso progenitos quodammodo mutat. Ex quo intulit proprias remediis esse debere virtutes *adstringendi*, *incrassandi*; *attrahendi*, *corrodendi*, *rubefaciendi*, *putrefaciendi*, *repellendi*, *absorbendi*, *praecipitandi*, *sanandi vulnera*, *doloresque sedandi*.

6. At postquam inter caeteras medicorum opiniones quae Baglivius praecepit de vitali fibrarum motu, praeprimis obtinuerunt, morbosque in quadam ejus perturbatione consistere pro certo habitum fuit, remedia quoque nonnisi *sedando*, vel *corroborando*, vel *alterando*, vel *evacuando*, humanum corpus afficere, et crediderunt, et late vulgarunt omnes, qui soeculo superiore de nobilissima hujus medicinae parte aliqua tradiderunt. Sed praeterea Hoffmanius praecipuas has remediorum virtutes in species denuo separavit: quae vim habent sedandi in *paregorica*, *anodyna*, *antispasmodica*, *anticonvulsiva*, *ipnotica*, et *narcotica*, sejunxit; corroborantia distinxit in *analeptica*, *balsamica*, *visceralia*, *adstringentia*, *traumatica*; adnumeravit alterantibus *absorbentia*, *incidentia*, sive *attenuantia*, *temperantia*, *emollientia*, sive *edulcorantia*; iis denique, quae evacuant, *emetica*, *lenitiva*, *drastica*, *diaphoretica*, *diuretica*, *emmenagoga*, *expectorantia*, *errhina*, *apophlegmatisantia*, *salivantia* adscripsit. Cum vero Glissonius in fibris vim peculiarem inesse constituisset, quae sine ullo spirituum vitalium ministerio contractionem efficeret, quamque postea Gorterius ma-

luit per omne corpus diffusum existimare; et cum summus Hallerius, qui eam nuncupavit irritabilitatem, ejusdemque leges et proprietates patefecit, illustriorem reddidisset, et a sensilitate penitus distinxisset, ex hac praejudicata opinione remedia quoque ita plures ex medicis dispertiti sunt, ut aliis sensilitatem, aliis irritabilitatem moveri crediderint. Doctrina postea de vi vitali magis magisque invalescente, prolataque a Cullenio subtiliore de spasmo hypothesi, quoniam medici vel atonia, vel nimia vi, vel spasmo morbos omnes creari autumabant, idcirco et inter remedia, quae *tonica*, quae *debilitantia*, et quae sint *antispasmodica* quaesierunt, eorumque naturam, et efficientiam experimentis, et observationibus se comprobasse putarunt. Brunonius tandem omnem remediorum virtutem in stimulo versari docuit, propterea quod solius stimuli defectione, vel incremento morbos fieri crediderit. At Nuperiores nostri, qui ejus vestigia sectantur, et *contrastimulantia*, et *irritantia* remedia adjungenda esse volunt nonnisi ex eo, quod in indaganda remediorum virtute solum animadverti debere vitalem motum defendunt; quod proprie

est universae Brunonis doctrinae fundamentum. Atque haec sunt, quae de materia medica attulerunt solius vis vitalis contemplatores.

7. Boerhaavius vero tunc temporis omnium medicinae peritissimus, aliisque doctrinae generibus eruditissimus, mirabili studio ex omni philosophiae parte quidquid ad medicinam idoneum credidisset, sedulo collegit, ordinatimque composuit; sed cum illius aetatis philosophia multis, iisque falsis, ac commentitiis redundaret opinionibus, accidit, ut vel ipse multorum errores simul coacervaverit, medicinamque infirmis superstruxerit fundamentis. Ad materiam medicam quod attinet; satis sit hoc loco ea tantum enumerare remediorum discrimina, quae ab ipso edita sunt. Primum igitur remedia distinxit, prout solidum, vel fluidum, vel utrumque afficiunt: quae primi generis sunt, in *stimulantia, contrahentia, laxantia, constipantia, doloremque excitantia* diduxit; ad alterum genus retulit, quae *attenuant, condensant, acrimoniam inducunt, acidum tollunt, humores mutant, diluunt, coagulant, commovent*, aut *ad quietem redigunt*; tertium denique comprehendit ea omnia,

quae vel *sanguinis motum*, *ejusque secretiones cient*, vel *alia profluvia movent.*

8. Quid vero dicam de medicamentorum divisione a chemicis recentioribus invecta, quatenus in ipsis inesse censebant facultatem vel *adimendi*, vel *adjiciendi oxygenium*, aut *hydrogenium*, sive *carbonicum*, sive etiam *caloris principium?* Quid de Darwinii pharmacis *torpefacientibus*, atque *invertentibus*, et *absorbentibus?* Quid de remediorum polari virtute, perinde ac si magnetis haberent naturam? Manifesto quae ita circa remediorum actionem in medium afferuntur, ab hypothesibus in pathologia adsertis, ac propugnatis, unice promanant, quibus sit adsentiendum nunc, seduli quaeso observatores dijudicent.

9. Ex his tamen, quae hactenus disseruimus, fas quidem est colligere, quam inconsulte, ac temere medici ut plurimum generalis medicamentorum virtutis discrimina statuere conati sunt. Non enim experimentis, vel observatione, uti par erat, ea constituta fuisse, sed potius ex commentitiis morborum speciebus, atque naturis medicos plerumque argumentatos esse, satis adhuc me palam fecisse puto; ideoque tantum in tota hac doctrina de re-

mediorum virtute inesse veritatis, quantum et in ea pathologiae parte, quae circa morborum discrimina versatur, necesse est. Siquidem ad eas remediorum virtutes, efficientiasque definiendas medici hujusmodi ratiocinio usi sunt: hic morbus, cui medicina est adhibenda, in atonia consistit; ergo, inquit eorum quispiam, remedium, quo sublevatur, corroborans est: alter vero, haec aegritudo e nimia oritur fibrae tensione, vel rigiditate; remedium igitur, quod auferat malum hujusmodi, laxans, vel emolliens esse debet: qui autem in humorum acrimonia positum esse morbum autumabat, hunc nonnisi antacidis existimabat fugari posse; sic de singulis dictum puta. Hodierna quoque die non alia de caussa pro stimulo habetur quidquid tollit diathesin iposthenicam, vel contrastimulum id judicatur, a quo diathesis ipersthenica sublevatur. Sed quantopere haec de diathesibus doctrina vera sit, ac firma, nec quaeritur, nec quaerendum esse putatur: fuse tamen ego omnino vanam, fallacemque monstrare suscepi et in Pathologia Analytica, et in aliis opusculis primum vulgatis, ac denuo in dissertatione ab Italica Scientiarum et Artium Societate

nunc edenda. Quid ergo veritatis in hac tanta de remediorum vi discrepantia sententiarum? Est igitur de virtutibus, quae insunt remediis, satis longa opinionum series, quae nulla observatione, nullisque experimentis deductae sunt, sed dumtaxat ab hypothesibus in pathologia constitutis depromptae. Omnes propterea, quas hactenus commemoravimus (si eas excipias, quae vel chemica ratione corpus afficiunt, vel in parte quadam corporis humani evidentibus effectibus manifestantur) medicamentorum virtutes, scilicet *calefaciens*, *refrigerans*, *exsiccans*, *humectans*, *adstringens*, *relaxans*, *antacida*, *antalkalina*, *fermentum compescens*, sive *promovens*, *bilim temperans*, *antiseptica*, *acidum absorbens*, *incrassans*, *involvens*, *attenuans*, seu *incidens*, *deobstruens*, *temperans*, *diluens*, *derivans*, *revehens*, *emolliens* sive *edulcorans*, *corroborans*, *sedativa*, *anodyna*, *antispasmodica*, *ipnotica*, *debilitans*, *laxans*, *contrahens*, *constipans*, *condensans*, *commovens*, *ad quietem redigens*, *acrimoniam inducens*, *sanguinis motum ciens*, *stimulans*, *contrastimulans*, *irritans*, *invertens*, *absorbens*, *torporemque inducens*, istae, inquam, virtutes omnes vel non satis perspectae, vel falsae omnino habendae sunt.

10. Supersunt vero remedia, quae in parte quadam corporis humani actiones ita peculiares movent, atque adeo manifesta, et constanti ratione, ut eas quisquis observaverit, nunquam in errorem labi potuisset; quorum in numero sunt purgantia, et emetica; iisque etiam diuretica, emmenagoga, expectorantia, sialagoga, diaphoretica, et narcotica addere opportunum judico. Harum enim virtutum notiones non ob fallaces opinionum illecebras medicorum animis subrepserunt, sed eas tantum in lucem protulit quidquid procul dubio in corpore nostro contingere solet; quod quidem praesertim de purgantibus, emeticis, diureticis, et sialagogis intelligendum est, cum emmenagoga, expectorantia, diaphoretica, et narcotica minus certa donantur virtute. Illa enim proxime organa afficiunt, quibus apponuntur; haec caeterorum interposita ad partes transvehuntur, ubi vim suam peculiarem exercent: ita confertim altera actiones produnt non dubias, nec unquam defecturas, altera serius agunt, nec semper eodem modo; quare nexus caussae, et effectus constans in primis, varius in secundis observatur, certaque exinde illorum virtus, horum

autem minus firma. Non semper enim squilla urinae profluvium ciet, nec opium somnum semper, gratissimum aegris levamen, affert; rarius expectorantia, sialagoga, diaphoretica, et emmenagoga sputum, vel salivam, vel sudorem, vel ab utero sanguinis fluxum movent. De purgantibus, et emeticis similia quidem non sunt dicenda quorum virtus profecto potest in morbis interdum debilior fieri, nulla unquam. Ex ea proinde usque a primis medicinae incunabulis medicos petiisse auxilia adversus morbos, certe haud in dubium hodie revocandum est; unde Hippocrates in curatione morborum plerumque humorum egestiones movere nitens, ad purgantia praecipue, et emetica saepissime confugiebat. Nec horum usus unquam defuit; nec quae virtus in quacumque substantia olim inventa fuisset, vel ad alvum relaxandam, vel ad vomitum excitandum idonea, eam nunquam potuit quisque deinceps inficiari. Certissima adsunt tamen etiam diuretica quaedam, ut nitrum, asparagi, aliaque similia, quorum actiones integro corpore satis constanti ratione manifestantur, ut ambiguitati, vel dubitationi non sit locus. Minus tuta existimo siala-

goga, emmenagoga, diaphoretica, et narcotica; puta guajacum inter diaphoretica, sabinam inter emmenagoga, mercurium inter sialagoga, ac demum inter narcotica opium. Sed hujus generis medicamentorum virtutes ad integrum corpus omnino referuntur, nec quidpiam contra morbos praestare queunt, nisi quatenus aut evacuationes excitant, aut somnum conciliant; quare medici ex hujusmodi remediorum actione salutem aegrotantibus haud promittunt, sed ob excretionem, vel somnum, quod subsequatur, ea tantum levamento ipsis esse recte credunt. Itaque hujus generis remediorum effectus potius respiciuntur, quam vera consideretur actio, quae ab ipsis in fibra, vel humoribus, vel etiam motu vitali producitur, et quae propterea varia quoque ratione ob diversa remedia effici potest. Olea enim blandissima aeque, ac sales acriores, et drastica alvum ducunt; sed profecto non eamdem in intestinis haec remediorum genera exercent vim; et cum vinum jejuno corpore sumptum, seu vermes in stomacho nidulantes non raro vomitum cient, quis vero eorum actio in fibram, vel humores, aut motum vitalem virtuti aequiparare auderet eme-

ticorum ? Opium, et guajacum, vel salsaparilla sudorem aeque exprimunt; squilla vero, et cantharides non dissimili modo urinam pellunt, quae quidem omnia sat diversa, manifestaque ratione humanum corpus afficiunt. Quapropter quid reapse sit haec peculiaris remediorum virtus, qua fit, ut in quibusdam corporis partibus singulares producantur effectus, quos plerumque humorum quidam sequantur exitus, vel somnus concilietur, neminem facile quidem dijudicaturum puto, imo vero sane nunquam detecturum. Oritur enim illa a singulari quadam affinitate, quae inter remedia est, variamque nostri corporis partium texturam; cujus affinitatis omnis continetur ratio in ipsa et remediorum, et humani corporis intima compositione, atque natura; quae quid sint, auderet ne quis hodie in tanta philosophiae perspicuitate inquirere ? Virtus igitur peculiaris, qua remedia vel alvum ducunt, vel vomitum provocant, vel sudorem, aut diarrhaeam, aut sputum sollicitant, sive demum somnum conciliant, omnino obscura, atque incomprehensibilis existimanda est, neque ad eam indagandam tempus incassum tereri, nec ipsa, nisi

tamquam phaenomenon physiologicum haberi debet.

11. Quod vero pertinet ad morbos, non solum medici communes remediorum virtutes ea, quam exposui, ratione quaesierunt, sed etiam usu explorarunt, quid maxime ad hunc, vel illum morbum conveniret, quaecumque esset caussa, unde hic coeperit. Hinc specifica remedia quamplurima, arcana, et panaceae in praesentissimis, infallibilibusque morborum auxiliis habita sunt; quae inter quot vana recenseantur, quot superstitiosa, quis ignorat? Re quidem vera adversus epilepsiam, exempli caussa, hydrophobiam, morbum scrophulosum, phthisim, podagram, canceroma, aliosque gravissimos morbos tanta jactantur specifica, ut solis eorum nominibus liber conscriberetur: horum igitur ingens numerus plane evincit saepe saepius eorum virtutes fefellisse medicos. Porro admodum verisimile est diligentiores naturae perscrutatores, peritissimosque artis medicae priscis temporibus nec probe inquirere potuisse remediorum virtutes, neque ex certis signis eas recte arguere; quippe qui accurate generum morborum carerent notitia, nec intime noscerent

corporis humani fabricam, ac leviter attigissent res physiologicas; denique experiendi, ratiocinandique ars adhuc nimis manca, et ambigua apud eos esset. Quapropter antiqui medici cordatiores qui quidem in tradenda historia morborum summa excelluerunt solertia, quis non videt, quam exigui, inanes, superstitiosi fuerint, cum remedia sibi comparare voluerint ad propulsandos morbos? Ex Dioscoride enim qui eorum omnium placita collegit, et memoriae mandavit posterorum, fere nil aliud circa medicamentorum virtutes accepimus, nisi fabulas multas, vulgariaque praejudicia, cujusmodi sunt quae de amuletorum, palestritarum et balneatorum sordium, cimicum, sordidae lanae, aliarumque inanium rerum praestantia in morbis ab ipso celebrantur laudibus. Plinius quoque remedia pene innumera contra morbos omnes commendat, quin ullam in eorum generibus, atque naturis significandis posuerit diligentiam. Aretaeus vero, qui morborum symptomata mirabili quodam studio, ac facundia descripsit, adeo ut mereretur dici Titianus medicorum, cum ad singula morborum genera remedia proposuit tunc temporis celebriora, multa

quidem omnino inania, atque vulgaria et ipse in medium attulit; unde phraenicis putabat subtrahendos esse fructus vinosae naturae, quoniam ex his caput et mentem percuti credebat; et bellaria omnia, praeter palmulas, ficus, et uvas, capiti inimica censebat, fimumque columbinum aptissimum dicebat ad movendum pus. Galenus testatur se experimento deprehendisse aquam, in qua damasonium decoctum fuerat, potam comminuere calculos in renibus constitutos, lapidem judaicum nihil proficere ad vesicae lapides, efficacem vero esse ad eos, qui in renibus haerent. Caelius Aurelianus non solum probat in tympaniticis emplastrum ex chamaleonte, vel ex stercore caprino, sed cum varia eruditione intemperanter delectaretur, totus incumbit in eas exerendas medendi rationes, quas memoriae tradiderunt Hippocrates, Diocles, Praxagoras, Erasistratus, Asclepiades, Serapion, Heraclides Tarentinus, aliique, ut nihil sane novi, aut veri de remediorum virtute ex ipso colligere facile sit. Celsus vero, qui tam subtiliter, tamque copiose, ac probe de diaeta non modo ab iis servanda, qui bona fruuntur valetudine, sed etiam qui aegrotant, multa

equidem de remediorum efficientiis habet obscura, ambigua, vel vania: invenies enim apud eum quae vulnera glutinent, quae concoquant et moveant pus, quae aperiant vulnus, quae adurant corpus, atque inter haec stercum lacerti, columbae, palumbi, hirundinis; accedunt sordes ex gymnasio, quas adscivit inter ea, quae discutiant quod in parte aliqua coivit; tum malagma ad jecur dolens, vel ad lienem, vel ad lateris dolorem, vel ad resolvenda, quae adstricta sunt, et mollienda, quae sunt dura, et digerenda, quae coeunt, et caetera millia, quae solum pro symptomatum ratione ab eo passim sunt praescripta, nullaque pollent efficientia. Similia quoque reperiuntur in Scribonio Largo, ac postea recensentur ab Oribasio, ab Aetio, a Paulo Egineta, qui, quod spectat ad remediorum virtutes, incerto nutantes pede, ejusdem ut plurimum, atque Dioscoridis, et Galeni errores, et placita aeque transcripserunt. Studium vero, quo tunc medici, et reges ipsi quam maxime incubuere ad antidota indaganda, nec non multiplicem, quam in formulis remediorum Arabes primum commendarunt, compositionem, unde aegri pugnantia simul in-

gurgitabant, debuisse magis veri remediorum effectus observationem praepedire, liquet, adeo, ut supervacuum sit pluribus verbis declarare.

12. Cum vero soeculo XVII.° medicina a Sydenhamio denuo fere penitus fuisset instaurata, rectius quidem remediorum virtutes investigatae sunt, sed tamen non adhuc satis exacte, et luculenter perspectae. Hoc enim testantur propria illa remedia pene innumera, quae quamvis nullius essent efficacitatis, tamen usque ad nostram fere aetatem, tamquam praesentissima, in morbis quamplurimis medici etiam praestantiores magnis extulerunt laudibus; quae quidem nimis longum esset singillatim e singulis recolligere auctoribus, atque hoc loco enumerare. In Hoffmanii enim dissertatione de specificis antispasmodicis satis multa hujus generis commemorantur remedia. Ex quibus inferre licet, quot quantisque prematur difficultatibus, qui accuratis observationibus inter auxilia vel bonae tuendae valetudinis, vel adversae restituendae certa a dubiis secernere velit, vera a falsis, tutissima a periculosis. Profecto vix fieri potest in tanta rerum, quas sedulo opportet perscrutari,

difficultate, ac varietate, ne quid aliquis praetermitteret, vel id, quod maxime praestaret, subito assequeretur; unde materies medica tardissimum suscepit incrementum, gravissimique etiam nostri aevi scriptores valde conqueruntur, eam adhuc inquinari multis erroribus, multisque dubitationibus fluctuare. » *Ingentem*, jam exclamabat Hoffmanius, *turpe dictu! negligentiam, vel potius ignorantiam circa hoc argumenti genus* (scilicet circa remediorum virtutes) *extitisse ingenue largimur . . . . . . sententia nostra haec est, perpaucas adhuc cognitas esse vires remediorum, quibus firmiter inniti et fidere possit praxin exercens, sed plerasque esse fictas, falsas, imo adhuc dum in Democriti latitare puteo* ». Cullenius aperte fatetur magna ex parte materiae medicae tractatus nil aliud esse, nisi errorum, et falsitatum collectiones. Carminatius *miravi neutiquam esse*, inquit, *quod illi etiam, qui post instauratam medicinam, et melius declaráta subsidia inveniendis, confirmandisque remediorum viribus, utilia de Materià Medica inter primos scripserunt, ut Hermannus, Pometius, Hillius, Alstonus, Zornius, Chomelius, Rayus, Neumannus, Carthenserus, Geoffroyus, aliique eam longe minus,*

quam erat in votis, aegrotantibus utilem, medicorumque rationibus accomodatam tradiderint, neque recentiores, ut Linnaeus, Crantzius, Spielmannus, Vogelius, Lieutodius, et Ruttyus satis eam illustrarint. Recentissime vero Alibertius materiae medicae tractationem hisce verbis ingreditur: audeo hanc scientiam pertractandam suscipere erroribus refertam, in qua nec verba, nec res exacte sunt definitae, atque omnia penitus sunt novanda. At quanam meliori ratione nobilissimam hanc medicinae partem de novo ipse instauravit? Remediorum quidem virtutes, non quae sint reapse, sed potius qua potissimum se se prodant corporis parte, solertissime quaerit, atque considerat; idque omne est fundamentum, in quo ipse constituit remediorum discrimina. Sed interest medicorum scire, non solum quam praecipue remedia afficiant partem, sed cui morbo maxime sint contraria, plurimique morbi in omnibus aeque corporis partibus contingere possunt, et tunc diligendum est, non quod potissimum vim diffundat in aegrotantem partem, sed quod praesertim morbo obsit. Cum renes, exempli gratia, inflammatione laborent, tuto certe quidem

non adhiberentur cantharides, quamquam peculiari ratione ipsos irritent; sed nosse necesse est, utrum ad profligandam inflammationem idoneae sint, nec ne. Etsi autem de generali remediorum actione aliquid dictaverit, utiliora tamen, et certiora, quam quae jampridem fuerant vulgata, minime affert. Id enim ab eo quaeri potest, quibus rationum momentis eam in remediis ostendat virtutem, ex qua *contractilitatem fibrillarem*, vel *muscularem*, quas ipse vocat, moveri censeat, et nervos diverso modo sic affici, ut remedia, quae id praestant, ipse jure dispertiri queat in *nervina*, *narcotica*, et *antispasmodica*? Jam magna ergo gravissimorum scriptorum auctoritate satis omnibus persuasum iri existimo perpauca adhuc nos recte scire de remediorum virtutibus, quamvis tot homines, tantis laboribus, tamque longo annorum cursu magnopere insudarint ad eas perquirendas, ac rite definiendas. Quod quidem non ex alio derivandum puto, nisi ex hoc, quod medici non satis recta ratione, ac methodo absconditas has perscrutati sunt naturae leges, nec sane argumentati quidquid experimentis esset deprehendendum. Quapropter supervacaneum

quidem non erit pauca nunc attingere de methodo, qua medicamentorum virtutes sint quaerendae, atque rite dignoscendae.

13. Jam olim veteres existimarunt vires, qualitates, et effectus ita ad corpora pertinere, ut quibusdam calidum quoddam, frigidum, humidum, vel siccum assignassent; ulteriusque progressi virtutem ipsis tribuerunt aperitivam, incisivam, venenatam, alexipharmacam huic, vel illi nostri corporis parti amicam, perinde ac eorum intimam naturam clarissime cognoscerent. Ex quo falso fundamento innumeri quidem errores irrepserunt in materiam medicam, et in praxin, quos dextere, et solide primus omnium perspexit, ac detexit Carthesius. Nihilo tamen minus cum medici, Paracelso docente, chemiam sunt professi, remediorum virtutes ab eorum elementis chemica analysi detectis omnino deducere sola argumentatione, nulloque experientiae usu consueverunt. Qua methodo liquet non minus a recto tramite deflexisse, quum veteres, qui remediorum virtutes aestimarunt juxta eorum sensibiles qualitates. Sed insuper a chymicorum disciplinis vanissima quoque prodierunt de astrorum influxu, de alchymia, atque de

signaturis celebratissima dictata, quae mirari licet nec Sennertum, neque Robertum Boyleum solertissimum naturae contemplatorem, atque experientiae usum instauratorem eximium omnino impugnare ausos esse. At postea de novo veterum methodus invaluit, praecipue ad aestimandas vires, et actiones remediorum, quae depromuntur ex animalibus, vel ex regno vegetabili: propterea vel ob saporem, vel ob odorem, vel ob caeteras sensibiles qualitates simili, aut difformi virtute remedia praedita esse dijudicabantur. Cujus rei apud Hoffmanium dissertatio adest, ubi fuse explicatur, quantum ab hac methodo utilitatis materia medica acceptura sit; at id quidem veritati haud consonum aperte monstratur. *Omnes enim fungi*, ait ille, *hisque congeneres agarici, boleti, lycoperda, fungoides, eodem cognoscuntur charactere, omnesque ac singuli virulenta subtili quadam acrimonia solidis, ac motrilibus corporis nostri partibus vim hostilem minantur; neque internus eorum usus adeo tutus observatur.* Sed in praesens tempus dubitare minime licet, quin quibusdam fungorum speciebus constans sit venenatum principium; ideoque modo innocens, modo lethalis esse

nequit earum esus; sed extra omnem dubitationem exploratum hodie habemus, alia esse fungorum genera venenata, alia insontia, prout videre est in Dissertatione, quam clarissimi Professores Patavini Bonatus, Dalla Decima, Brera nuperrime de fungis edulibus ediderunt. Similiter ab amarore virtus in plantis contra febres intermittentes aestimata fuit, adeo ut Lieutodius inter febrifuga aloem quoque, gummi gambogiae guttae, similiaque recenseat. Quis vero ea fidenter experiri auderet in febres? Plane igitur patet non quidem esse licitum remediorum virtutes inferre ab eorum sensibilibus qualitatibus, sed illas sola eruendas esse experientia; quod quidem deinceps magis explanare enitar.

14. Fuerunt denique qui existimarunt remediorum agendi rationem satis patefactam fuisse ex iis phaenomenis, quae medicamenta edunt sanguinis crassamento, sero, lymphae, salivae, bili, aliisque humoribus e corpore eductis permixta, aut quae in nonnullis animalibus brutis gignuntur a quibusdam pharmacis vel assumptis, vel exterius applicitis. Sed multum hic quoque subest fallaciae. Humores enim cum sint e corpore educti, statim cor-

rumpuntur, subtiliora avolant principia, crassiora plus minusve coeunt, aer denique circumfusus novas in eorum partibus disjunctiones, atque cohaerentias producit. Hinc efficitur, ut medicamenta non eamdem omnino attingant substantiam, cum vel intra, vel extra corpus humoribus misceantur. Sed praeterea an intus assumpta in stomacho non mutentur, et ab ipso per omne corpus permeant, et qua via id contingere soleat, valde nimis ambigitur; adeo ut nimia temeritata, nec semper innocua ad viventem hominem quod in rebus externis accidit, traductum sit. Neque magis alteri argumentandi generi fidendum est, quo virtutes remediorum conjicere contendunt ex eo, quod pharmaca in brutis animalibus praestant. Non omne enim genus animantium iisdem donatur proprietatibus, nec in omnibus eadem inest sensilitas, atque cum rebus externis similis congruentia; quamobrem experientia docet non omnia eodem modo omnibus conferre, sed alteri esse nocentia, quae alterum optime fert, aliis vero idonea, quae caeteris sunt inimica. Galenus animadvertit sturnos bene ali cicuta vulgari, quae hominibus, bubulis, multis-

que aliis animalibus perniciem minitatur, atque potissimum ea capreas nutriri Lucretius ipse testatur = Quippe videre licet pinguescere saepe cicuta = Barbigeras pecudes, homini quae est acre venenum = Equi, teste Sauvagesio, napellum lycoctonum innocue ingurgitant, quem si lupi, sues, vulpesque sumpserint, cito moriuntur. Ex Linnaeo accepimus sambuci baccas pullis gallinaceis lethales esse omnino. Itaque sive remedia in brutis animalibus explorentur integro corpore, diversa eorum sensilitas, diversaque cum remediis ipsis affinitas effectus ob oculos ponunt non semper cum iis, qui in homine observantur, optime congruentes; sive de iisdem periculum fiat infirmo corpore, non exacte quidem brutorum animalium morbi cum humanis conveniunt, ideoque non rite quidquid praestabunt in ipsis, idem et in homine accidere debere credendum est. Caute igitur, et nonnisi conjecturali via haec est adhibenda methodus virtutem medicamentorum indagandi, neque putandum ejus ope peculiarem proprie detegi posse contra singulos morbos remediorum efficacitatem, sed potius colligi quodam probabili argumento generalem eorum actionem in corpore humano.

15. Satis me igitur ostendisse puto quantopere medici in investigandis remediorum virtutibus e recta plerumque aberrassent via, scientiamque erroribus, ac rebus dubiis, et superstitiosis ita praegravassent, ut eam corrupisse magis, quam auxisse temerarium non sit affirmare. Nolo tamen quis credat, omnia ab iis observata, tamquam superflua, et falsa, omnino me esse repudiaturum; immo vero fateor multa exactissima esse, luculentissimaque, et veritatis plena, multosque maxime ex nuperrimis scriptoribus curam magnopere laudabilem suscepisse materiae medicae meliori ordine disponendae, et inter remedia ea solummodo retinere studuisse, quae ratione, et experientia probata fuerunt, dubia vero, vana, superstitiosa, nimis composita, vel inania penitus rejecisse. Quorum vestigia persequi, praeceptaque, et instituta amplexari tutum valde, atque gloriosum mihi existimo. Sed propius ad propositum accedamus.

16. Quidquid exterius applicitum, vel intus sumptum aliquam in corpus humanum mutationem inducit, in remediorum numero haberi potest. Nihilo tamen minus ad bene definiendam remediorum virtutem

id maxime refert, ut sedulo animadvertatur, ac probe distinguatur, quid remedia mutent in corpore integro, quidque dum ipsum morbo laborat. Sensilitas enim, seu vis vitalis, cujus gratia res externae in animantium corporibus propriam exercent vim, aliquam, ipsis aegrotantibus, patitur immutationem, ex qua sequitur, ut diversa ratione iisdem rebus afficiatur. Praeterea in sano corpore, vel quae in parte tantum accidunt, vel quae ubicumque manifestantur, actiones considerari queunt; nam ex illis particularis in organum aliquod constat remediorum virtus, ex his vero quaerenda est eorum generalis efficientia, quam cum vanis, et commentitiis opinionibus medici hactenus interpretati sint, nunc est dicendum, qua magis recta ratione eam investigari, atque statui possit; difficillima quidem res, ambiguitatis, et obscuritatis plena, cui propterea trepidante animo accedo, nec suffultus satis spe aliquid luminis afferendi menti nostrae, ut nonnulla in tam reconditis naturae arcanis distincte satis possit introspicere.

17. Viventium corpus peculiarem, ac pene mirabilem agendi vim habet, unde

caeteris supereminet corporibus, atque ab iisdem facile discernitur; ex ea enim omnia existunt vitae phaenomena. Hujusmodi vis gratia, cujus omnino latet natura, semperque latebit in occultis, res omnes in viventium corpore effectus edunt numquam iis aequiparandos, qui in bruta materia progignuntur. Patet igitur non sane quidem ex eo, quod in ipsa accidit, inferri posse specie quadam analogiae, quid in viventibus corporibus ob rerum externarum actionem interveniat; propterea ex sola experientia rationem omnem esse petendam, cur earumdem rerum efficientia in corpore humano rite existimetur, pro firmo habeatur, atque inexpugnabili universae materiae medicae fundamento. Experientia vero docet, quae vel ingestis, vel exterius applicitis phaenomena in corpore nostro subsequantur, sed quae tunc interius fiat mutatio in motu vitali, ac in fibris, et humoribus, neque his proditur, quae sub sensibus naturaliter cadunt, nec ullo ingenioso artificio hactenus invecto explorari potest; ideoque ab iis tantum, quae apparent, opportet eam argumentari. At qua ratione, ac methodo, quibus regulis, quanam diligentia, qui-

busque cautelis id persequi liceat, dubium adhuc est, atque incertum, totaque in hoc versatur difficultas recte statuendi generalem remediorum virtutem.

18. Inter multifarias animantium functiones nonnullae extant manifesto chymicis, vel mechanicis legibus obnoxiae, ut exempli gratia, aeris elementorum dissolutio in pulmonibus, atque sanguinis per vasa perpetuus circuitus; caeteris vero adeo imperat vis vitalis, ut numquam ipsae legibus pareant supradictis. Sed ex his functionibus aliae deprehenduntur simpliciores, aliae implicatiores, atque illae cum propiores eidem vi vitali sint credendae, clarius, tutiusque indicare poterunt ipsius immutationes, fibrarumque, et humorum a statu sano aberrationes. At omnium simplicissimae viventium functiones motus vitalis, et processus assimilationis sunt; quae duo phaenomena essentialem constituunt vitae characterem, quemadmodum ipse multis abhinc annis breviter quidem, at satis manifeste exponere suscepi contra Brunonii sententias maxime tunc vulgatas, atque medicorum in animis firmiter insitas. Non enim multis opus esse verbis existimavi, ut patefieret id,

quod clarissime antea cognitum, probatumque fuit, nec unquam, nisi a Brunonio, qui omnem vitae rationem in solo motu vitali posuit, praetermissum. Quapropter aliquantulum mirabar, cum viderim Emilianum in dissertatione nuper edita, tamquam novum inventum cujusdam Professoris Bononiensis, ea protulisse, quae hic de incitabilitatis reproductione recens vulgavit; perinde ac medici antea ignorassent viventium corpora ali necesse esse, et nutritionis ope vires instaurari, quas usus consumpserat. Res igitur externae vel assimilationi inserviunt, vel ad motum vitalem excitandum solummodo idoneae sunt; atque illae aliquid propriae substantiae suppeditant fibris, vel humoribus, ex quo nutritio perficitur. Sed ut bona consequatur nutritio oportet, vitae viribus res ipsae subigantur; quod si id vel omnino non accidit, vel imperfecte tantum conficitur, adeo ut partes quaedam ex rebus ingestis in humores, et fibras transferantur nondum vitae viribus obnoxiae, recta pervertitur assimilatio, fitque in corpore humano quaedam elementorum perturbatio, quae illud plus, minusve ab integerrima salute dimovet, et in morbum

plerumque erumpit. At si morbo aliquo corpus detineatur, tunc quae non perfecte eidem assimilantur, illam amovere queunt elementorum perturbationem, ex qua morbus ipse existit; unde ea, quae in sanitate ad morbos conducunt, in morbis salutem afferunt. Quae vero motum vitalem solummodo excitant utrum fibris, et humoribus aliquid substantiae ingerant, an vero quasi solo mechanico attactu fibras impellant, vehementer ambigitur: sunt tamen res quaedam, quae nisi hoc modo eas afficere possunt, scilicet quae pungunt, comprimunt, incidunt, distendunt, aliaque similia. Hinc efficitur, ut quidquid res primi hujus generis in corpore mutaverint, idem permaneat, etsi ipsae removeantur; e contra statim ac caeterae auferuntur, evanescat quod in motu vitali excitarint. Sublata luce, confestim omnia ab oculis disparent, vino epoto, sapor ejus non ultra sentitur; opio ingurgitato, et brevissime post vomitu rejecto, ne aliquid ejusmodi in venas transeat, protinus omnia, quae induxerat, phaenomena elabuntur. Sed quae assimilationi favent, leviter, sive potius levissime plerumque motum vitalem concitant, ut esca, qua vescimur. Aliae

vero (et hujus generis quamplurimae sunt) in motu vitali, et assimilatione eodem tempore efficientiam quamdam exercent: ideoque ut recte investigetur rerum externarum in viventium corpore generalis actio, sedulo primum distinguendum est id, quod motui vitali, vel assimilationi debeatur. Indubium enim est multa immutata in sanguinem transire, atque ex hoc in unum, vel alterum organum pervadere, prout praesertim de rubia tinctorum, et de terebinthinis, aliisque certum est, atque exploratum. In ea vero, quam supra memoravi, dissertatione propediem ab Italica Scientiarum et Artium Societate edenda, non pauca retuli novissima experimenta, quibus haud est dubium venena immutata e stomacho per venas late diduci, adeo ut ex eorum attactu exsolutis, vel saltem turbatis plerumque medullae spinalis elementorum nexibus, pabulum vitae confestim extinguatur. Ex iisdem itidem experimentis deprehendimus, emetica, et purgantia in venas immissa, stomachum, et intestina ita movere, ac si essent ingesta, et cantharides pari ratione renibus esse infensas. Mercurius vero in luem, chalybes in chlorosim, phosphas calcis in ra-

chitidem, magnesia in morbos ex calculis, aliaque nonnisi assimilationem mutando, ac corrigendo, salutem, vel saltem a malorum fastidio levamen inferunt. Quot alia simili ratione morbis mederi idonea esse queunt? Verisimile quidem admodum est omnes, qui in corpore perseverant, remediorum effectus quammaxime ad assimilationem pertinere, eos vero, qui citissime evanescunt, in solo contingere motu vitali: atque ideo alteri ab alteris probe sunt distinguendi, ut clare elucescat, quae vera sit rerum externarum in corpore humano efficientia.

19. Sed cum motus vitalis, et assimilatio sensuum aciem fugiunt, latentque in abdito, utrorumque vicissitudines ab eis tantum, quae in patulo sunt, functionum immutationibus necesse est argumentari. Hae vero quamvis a motu vitali originem ducant, et ope assimilationis sustententur, non ita tamen ab ipso emanant, ut constantissime ejus sequantur rationem: scilicet modo sunt concitatae nimis et erectae, dum motus vitales necessario torpent, modo languescunt, dum isti aguntur vehementius. Igitur non solum discerni debent functiones a motu vitali, sed quam-

vis ab ipso proficiscantur, tamen pro ipsius propiore effectu non sunt considerandae: hic enim solius caussae, unde manat, perpetuo imitatur rationem. In Pathologia Analytica, alioque Opusculo, quod supra commemoravi, evincere studui manifestas viventium functiones tribus conflari viribus, vitalibus nempe, chemicis, et mechanicis simul cooperantibus, atque ad unum finem conspirantibus, quae tamen quomodo in unum concurrant, et quanam ratione effectus simul edant, profecto res est adeo tenebris circumfusa, ut nulla affulgeat spes fore aliquando, ut nobis aperiatur. Interea hanc distinctionem, quam posui inter functiones, et motum vitalem, quaeso velint medici, tamquam universae pathologiae, atque materiae medicae fundamentum gravissimum perpendere, ac firmiter retinere; mihique gratulor, cum animadvertam hodie sensim medicos libenter in hanc meam sententiam descendere, et placita repellere Brunonis, qui inter functiones viventium corporis, et motum vitalem nullum agnovit discrimen; viderique potest in recentissimis Epistolis Basevi, quae ex toto principiis conveniunt in Pathologia Analytica consti-

tutis, quantum ipse huic innitatur fundamento. Neque, ut Borellio videtur, distinctio haec censeri potest ex analogia tantum deducta, cum ex evidentissima discrepantia, qua functiones, motusque vitales saepe saepius peraguntur, non probabili conjectura, sed necessaria inlatione sit comprobata. Attamen non pauci ex Italis recentioribus eo Brunonii doctrinae principio adhuc innituntur, quo statutum est, omnia, quae in viventium corpore contingunt, a solo derivari motu vitali, qui proinde tamquam prima, et unica salutis aeque, et aegritudinis caussa existimatur; ac propterea quidquid rationis esset functiones inter, et motum vitalem, id quaerere omnino esset superfluum. Sed quam longe a veritate aberrent, satis me jam probasse puto, ut nullum adhuc dubium remanere queat. Brunonius enim in motu vitali omnia, quae ad vitam pertinent, omnino contineri statuit ille quidem, sed rationibus id evincere nusquam curavit. Atque hoc primum est fundamentum rerum omnium, quae Brunonius, et recentiores de vi vitali, deque ejus immutationibus copiose nimis disseruerunt; adeo ut ipsum perquirere, sedulo examinare,

atque justissima lance perpendere, primus esse debeat gradus, a quo omnis pathologiae, et materiae medicae tractatio inchoanda sit, ne in errorem rapiamur. Quam praetermittendo investigationem nuperrimos maxime errasse mihi videtur, qui neque id quaerunt, nec quaerendum esse putant; et quod est etiam deterius, omnes eorum investigationes ex eo dimanant principio, quod salutis, et aegritudinis praecipua ratio in solo motu vitali contineatur, atque ita quod erat demonstrandum, pro fundamento habent omnium demonstrationum: id, quod satis existimo evidenter me explanasse in Pathologia Analytica, aliisque opusculis, nisi magnopere me fallit opinio, rursumque declarasse fusius in opusculo, quod, ut dixi, judicio Societatis Italicae Scientiarum, et Artium subjeci. Quapropter mirum est Emilianum in ea lucubratione, quam eodem tempore huic Societati judicandam obtulit, in qua egit de iisdem in Italia celebratis medicorum doctrinis, in eamdem incidisse negligentiam, et tamquam vera venditasse, quae nimis adhuc incerta sunt, ac velut plana, quae sunt contentiosa, et quasi perspicua, quae absurda,

nec verbum fecisse de vulgatis, probatisque contrariis sententiis. *Quid est enim*, praeclare ait Cicero, *temeritate fortius, aut quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate, atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, et cognitum, sine ulla dubitatione defendere?* Nec recte quidem Borellius, vir ingeniosus, fundamenta materiae medicae jacere nitens dynamicam, ut ajunt, rerum externarum actionem tantummodo considerat, perinde ac si procul dubio omni esset constitutum nulla alia ratione ipsas corpus nostrum afficere posse. A sola igitur mutatione, quam res externae in viventium corpore operantur, inferre minime licet, quid et in motu vitali, in fibris, et in humoribus mutatum sit, quidque motus ipse valeat ad procreandos morbos. Ab effectu ita caussa ejus est arguenda, quae argumentandi ratio a Newtonio quam maxime jam commendata, atque adhibita fuit. Sed ne in fallaces nos trahat conclusiones, oportet, ut ex effectu propiore propior deducatur caussa; ideoque hoc argumentandi genus usurpari nequit, cum ex iis, quae in manifestis viventium functionibus contin-

gunt, ea deducere velimus, quae intus in corpore sint mutata; quoniam functiones propiora effecta non sunt motus vitalis, nec iste tamquam propior effectus fibrarum compagis, humorumque crasis existimari potest. Videant ergo medici quanti nostra intererat, ut exacte, minuteque omnes enuclearentur rationes, quibus manifestae viventium functiones nexae sunt, atque jugatae cum motu vitali, antequam illae haberentur pro indicio, atque mensura omnium vicissitudinum ejusdem motus vitalis; quemadmodum Torricellius necesse habuit experimentis demonstrare liquidorum ascensum per tubum ab aeris gravitate omnino oriri, priusquam physici eum adhibere potuissent ad mensurandam ejusdem aeris gravitatem. Firmum igitur, comprobatumque habeatur, functiones viventium manifestas, cum non a solo motu vitali proficiscantur, nec constantem ejus sequantur rationem, ejusdemque non sint effectus propiores, numquam ita esse censendas, ut constituant mensuram, atque indicium ipsius mutationum. Sed ut id, si numquam fieri potest nos assequamur, necesse est ingeniosis, ac subtilioribus experimentis, talia exquirere, quae mo-

tus ipsius vitalis, et assimilationis vicissitudines sensibus nostris quodammodo obnoxias reddere queant. Qua in re nuperrimos potissimum ob id hallucinatos esse existimo, quod ad motum vitalem ea retulerint, quae solummodo sunt functionum, et quidquid mutationis opparuerit in ipsis, idem contigisse in motu vitali autumarint.

20. Cum vero phaenomenon quoddam, cujus perquiritur caussa, nec simplex, nec cum ista copulatum constanti, et unica ratione oculis nostris objiciatur, sed possibile sit, ipsum a variis caussis progenitum existimavi; ut inter has vera seligatur, methodus est adhibenda, quae a Seinà dicitur *eliminationis*: experiendo enim et observando rerum naturam, verosimiles caussas singillatim sunt amovendae, donec perveniatur ad illam, quae nequeat amoveri, quin et phaenomenon ipsum statim evanescat: haec tunc jure vera ejus caussa dici debet. Functiones igitur humani corporis cum tribus videantur conflari viribus, idest vitalibus, chemicis, et mechanicis, primum curandum est, ut sejungatur omnis chemica, et mechanica actio. Insuper dissocianda sunt, quae ad motum vitalem, et quae ad assimilationem perti-

nent : ad summam functiones in partes, ut ita dicam, sunt distrahendae, et harum quaeque singillatim examinanda, eisque substantiis tentanda, quae modo vires vitales, modo chemicas, modo mechanicas ad actionem impellant, adeo ut unicujusque harum virium effectus separatim in conspectum veniant, et sic quid unicuique debeatur, clarissime innotescat. At res externae, ut vivens corpus moveant, in ipsum introducuntur, vel exterius ad ipsum applicentur, necesse est. Introducuntur vero, vel cum ingurgitantur, vel cum in venas injiciuntur. Sed tunc per aperta corporis spiramenta, vel ab externa ejus superficie, vel a stomachi, intestinorumque cavo combibuntur, et tandem immutatae miscentur cum sanguine, vel saltem possunt immisceri, eumque chemica ratione perturbare, ac postremo assimilationis opus labefactare. Quamobrem cum res externae vel intus sumantur, vel corporis tantum ad superficiem apponantur, discerni nequit, utrum in solo motu vitali vim quamdam peculiarem exerceant, an vero chymico modo corporis mutent compagem, aut detorqueant assimilationis opus. Sola igitur inspectio earum vicissi-

tudinum, quae in functionibus sensibili modo contingunt, dum substantia quaedam vel ingeritur, vel exterius ad corpus admovetur, minime quidem potest sufficere ad eam, quam supra dixi, caussarum *eliminationem*; quae nihilo secius, út in rebus physicis veritatem consequamur, omnino plerumque est necessaria. Experimenta igitur, si qua excogitari possunt, tentanda sunt, quae rerum externarum actionem in humanum corpus simpliciori modo aperire queant.

21. Primum quidem rerum externarum chemicam agendi rationem (cum de mechanica vi, qua ipsae viventium corpus afficere possunt, superfluum sit agere hoc loco, quoniam hujus generis effectus evìdenter per se patent) nonnisi in humoribus censeo esse quaerendam; intimae enim fibrarum compagis immutationes adeo latent in occultis, ut desperandum sit, eas cuipiam innotescere unquam posse. Sed ut aliquo modo haec comperiri queat in humoribus rerum externarum actio, ad ea est confugendum experimenta, quae soeculo decimo septimo primum instituta sunt, ac postea penitus intermissa, nunc rursus tutiorem in modum revocata; atque haec

peraguntur omnino in venas injiciendo remedia. His autem immissis multa quidem in animalibus turbulenta phaenomena enascuntur; sed istorum ratio non est habenda, cum ad ea tantum oporteat animum intendere, quae in sanguinis crasi eveniunt. Hujusmodi experimentis, exempli caussa, compertum est baryte muriatica sanguinem coagulari, eumque acido sulphurico, muriatico, atque phosphorico non solum concrescere, sed etiam nigro colore tingi; at quod magis est singulare, potassa menstruo soluta, si in venas injiciatur, sanguinem cogit, cum eodem venis educto si misceatur, minime sanguis coit in densitatem. At cum animalia ingestis hujusmodi venenis enecata, non eas exhibuerint sanguinis mutationes, aequissimum est concludere, ea in ipsis nullam exercuisse chemicam vim. Quod si ex adverso mutationes illae contigissent, et investigatoribus compertae essent, tunc profecto colligendum fuisset, ea ingesta venena in sanguinem transiisse, et chemica vi ita ejusdem crasim perturbasse, ut vitae sustentandae impar evasisset. En argumentandi ratio, qua hujus generis experimentorum gratia discerni potest,

quae in remediis extet chemica vis humanum corpus afficiendi, cum intus sumpta, vel exterius applicita, vasibus absorpta, illud late pervadunt. Coindetius vero existimat, hanc potestatem eo esse efficaciorem in remediis, quo minus firmiter simul cohaerent eorum elementa; ac propterea facilius stomachi viribus subigi possunt; unde venena, quae in plantis, vel in animalibus reperiuntur, pene innocua sunt, si ingurgitentur, lethalia vero, cum in venas intrudantur; caetera e contra stomacho quoque sunt infensissima, nec unquam sumi possunt sine periculo. Hujus generis experimenta si multis, variisque modis fiant, atque iterentur, admodum credibile est medicos eo tandem perventuros, ut chemicam remediorum vim probe discernant a quacumque alia, quae illis sit propria, et clare effectus perspiciant in corpore humano, qui ab ipsa repeti debent. Sed quasi in hujusmodi experimentorum adjumentum negligenda quoque non sunt tentamina, quibus possimus comperire, quae immutata per absorbentia vasa cum chylo diducantur; vel eum ipsum perturbent, diversumque efficiant, nec non quae similiter immutata excernantur

cum aliquo corporis humore, eumque cogantur de suo statu demigrare. Si enim quae hujusmodi investigationibus observata sunt, cum iis conferantur, quae ex remediorum injectione in venis deprehenduntur, luculentius quidem patebit, quid in humanum corpus chemica vi res externae valeant, tutiusque haec earum potestas discriminari poterit ab illis, quibus ipsae motum vitalem, atque assimilationis opus concitare possunt, atque etiam corrigere, aut pessundare.

22. Postquam vero experimentis hucusque memoratis compertum est, remedia quaedam ingurgitata in venas introire, et cum sanguine late diffundi per corpus, quin ullam patiantur immutationem, attendendum est, utrum in organum quoddam decurrant, ibique eorum exserant vim, an vero quacumque vagantes, omnes percellant fibras, ipsarumque pervertant actiones. In primo enim casu particularis patebit remediorum virtus, alicujus organi magis amica; quemadmodum ab experimentis, quorum mentionem feci, expedite conjicere quis potuit, venena quaedam ad medullam spinalem transferri, eamque noxis specialibus vexare, emetica, vel pur-

gantia in venas immissa, ad stomachum, et intestina transvehi, ibique eorum vim peculiarem exercere: id, quod postea etiam a Coindetio novis est confirmatum experimentis. At venena ex plantis, praecipue vero ex animalibus deprompta, etsi haud dubie, quacumque alibilis lympha permanat, vel sanguis traducantur, nulla tamen adhuc comperta est corporis pars, in qua ipsa deponantur, morboque eam maxime conflictando, lethum inferant. Ea credibile quidem est organicam compagem fere penitus destruere, assimilationis opus praepediendo, vel potius vehementer laedendo; ac propterea generalis, non vero particularis haec eorum actio censenda est. Ita igitur experimenta, quibus remediorum per sanguinem transvectio patefieri potest, vel eorum particularem virtutem, quibusdam organis maxime amicam indicare queunt, vel eam in ipsis manifestare vim, qua assimilationis opus praecipue perstringunt. Quanam vero ratione, quantaque solertia perfici haec experimenta necesse sit, supervacaneum quidem est hoc loco in medicorum mentem redigere; quoniam nunc temporis satis notae sunt res istae, atque pervulgatae. In his igitur

periclitationibus valde elaborandum est, ut inter multiplices remediorum effectus ii probe dignoscantur; qui a chemica vi, quique a mutato assimilationis opere proficiscuntur, nihilque nostris opinionibus contendere audeamus contra universam naturam. Nunc de illis affectionibus dicere aggrediar, quas remedia ipsa in solo motu vitali progignere consuescunt.

23. Meminisse hic oportet ex physiologicis praeceptis motum vitalem ope systematis nervosi, fibrarumque muscularium omnino expleri; atque ideo ejusdem motus vicissitudines in nervis tantum, et musculis perquiri necesse est; nisi enim haec organa sola remediis tententur, aliorum influxu omnino semoto, illae nunquam erunt in promptu. Rolandius, Legalloisius, atque Wilsonius nunc viam ad hujusmodi experimenta patefacere conati sunt; ea tamen saepius iterare, et accuratius peragere, omnibusque variare modis adhuc est necessarium, ut quidquid in iisdem peccatum sit, auferatur, nobisque demum affulgeat veritatis lumen. At nervos, et musculares fibras oportet separatim rebus externis aggredi, ut elucescat, an aliquid discriminis inducant inter utrumque ex-

citatas actiones, nec ne. Quamvis enim in nervis nullum unquam sensibilem motum ipsae concire soleant, idque jam multis experimentis a multis probatum sit, impossibile tamen non est fieri ipsum posse, instar motus muscularis, ex obscurioribus contractionibus, et relaxationibus, uti Darwinius conatus est ingeniosissimis tentaminibus ex oculorum spetris deducere, motibusque in retina concitatis. Profecto omnibus tantum hujus generis experimentis investigari potest, an simplex dumtaxat, et una sit motus vitalis ratio; idcirco ex his tantum indagatio potest proficisci, utrum vis vitalis simplex, et eadem in omni corporis parte sit existimanda; id quod nimis temere, et inconsulto Brunonius jam affirmare ausus est. Quam maxima igitur in iisdem experimentis adhibenda est solertia agendi, et cogitandi, novaque invenienda artificia, si fieri potest, quibus proferantur in lucem abditi nervorum motus, iisque comparari queat, qui in musculis adspiciendos se praebent. Neque hic praetermittenda pericula omnia, quibus vel confirmari, vel convelli ea possit opinio, in quam hodie praeclari viri concurrunt, nervorum nempe actiones

aequiparari posse cum pilae voltianae phaenomenis. Qua in re quaedam recentissime Bellingerius peregit, vulgavitque experimenta. Quia tamen nondum iis sublata est omnis dubitatio; ideo ad ea iteranda novum, diligentiusque conferre studium oportet. En igitur methodus, quae est adhibenda, en via, quae ineunda, en omnia, quibus animus adjiciendus, ut cogitatione complecti possimus, atque experimentis deprehendere, quot, quibusque viribus res externae valeant ad immutandum motum vitalem.

24. At cum motus vitales ex una in alias soleant discurrere partes, superest, ut sedulo examinentur nervorum connexiones, variique influxus. Nam ex hoc tantum fonte manare potest ratio, cur quidquid res externae in partis alicujus motibus mutaverint, id aliis, vel etiam omnibus mutationem quamdam inferat. Quamvis vero M. F. Maria Gelcenius optime de sympathiis recentissime pertractavit, earum leges tamen vehementer exopto, diligentius exquirantur, atque clarius, nitidiusque definiantur, quae in stomacho praesertim adeo multiplices praesumi queunt, ut non omnes quidem esse

detectae, atque apertae merito putentur. Cum vero ingesta remedia venis absorbeantur, atque immutata, ad aliquam corporis partem traducantur, si ejusdem partis dignoscerentur sympathiae, facile quidem esset omnium, quae subsequerentur, phaenomenorum veram colligere caussam. Ergo tam magna notionum series, omnino est necessaria, tantisque in rebus plurimum operis, et temporis ponendum est, ut rite existimari, atque discriminari queant effectus, qui ab ingestis in animantium corpore eliciuntur. Cum enim ex illis, quae hactenus commemoravi, experimentis cognitum, atque perspectum sit, quid res externae valeant ad mutandos chemica vi humores, quid ad moderandum assimilationis opus, quid denique ad excitandum motum vitalem, et quae solеant immutatae in venas progredi, et quae late per corpus diffundi, aut ad aliquam partem tantum traduci, ibique latitare; difficile quidem non erit inter phaenoména ab ingestis profecta ea noscere, atque seligere, quae ad unamquamque referri debeant vim, qua res externae donantur; atque ita expleta erit ea caussarum *eliminatio*, a qua in perscrutandis his na-

turae legibus deflecti minime licet. Sed ex his fas est colligere, quot, quantisque prematur difficultatibus generalis remediorum actionis investigatio, quot indigeat experimentis, atque observationibus, quanta dexteritate, et sedulitate haec sint peragenda, quantum cavendum, ne faciles sensuum illusiones nos decipiant, qua denique acuta ratiocinandi vi conclusiones sint inferendae, ne erroribus ducamur. Sedulis vero his experimentis, atque observationibus praetermissis, aut constituto ordine non servato, generalem remediorum virtutem detegi non posse, nec rite definiri adeo persuasum habeo, ut affirmare audeam, nos propositum finem nunquam consecuturos, si aliam ingredi viam, aliaque ratione, ac methodo haec indagare velimus recondita naturae opera. Quot modis vero experimenta variari queant, ex quibus cautelis, ac diligentiis sint instituenda, quaeque tunc ratio habenda aeris circumambientis, et eorum omnium, quae in ipso contingunt, non est hic inquirendi, ac declarandi locus. Interim ex his omnibus, quae hactenus disseruimus, concludere quisquis potest, temerarium nunc fore, tamquam veram, atque com-

probatam aliquam defendere generalis remediorum virtutis distinctionem, quae nondum satis idoneis experimentis sit investigata, atque perspecta.

25. Scimus quidem, atque experientia haud dubie explanatum est ex rebus externis quaedam ad vitam sustentandam, et idoneum functionum ordinem servandum optime valere, eisque ingurgitatis gratissimo sensu hominem statim recreari, calorem augeri, pulsuumque motus aliquantulum accelerari. Scimus quoque alias nostro corpori minus amicas, cum intus suscipiantur, vitae integritati obesse potius, quam prodesse, sensumque ingratum subito movere, calorem imminuere, nauseam ac vomitum ciere, rectoque functionum ordini, atque usui quodammodo adversari. Sed quae tunc in motu vitali, in fibris et humoribus incidant mutationes, ac proinde quanam ratione res externae intus sumptae talia praeseferant phaenomena, ut aliae erigere vires, aliae vero deprimere videantur, dubium quidem adhuc obscurumque remanere, satis ex iis patet, quae ante dicta sunt. Ego quidem recentissimis rei medicae gallicis scriptoribus non assentiar, qui uti barbaram

traducunt nostrorum de contrastimulis doctrinam ex eo, quod isti nauseam, et vomitum a stomachi virium languore oriri credant; nihilominus hunc ab illis perturbatae stomachi functionis phaenomenis probe esse distinguendum tueor, atque contendo; cum rectae rationi consonum minime putem, fibris stomachi, et ejusdem motui vitali id tribuere, quod ad ejus tantum functionem attinet. Inde apparet stimulantium, et contrastimulantium distinctionem recentiorum non alia ex re esse deductam, nisi a manifestis stomachi functionis perturbationibus; quae ex occultis ingestorum actionibus progignuntur; atque ita effecta pro caussis habita sunt, functionumque evidens mutatio pro intima motus vitalis mutatione. Quidquid enim stomachum insolito quodam modo afficiat, nauseam, et vomitum producere potest; quacumque polleat virtute, sive haec sit mechanica, sive chemica, seu, quod spectat ad vitam, stimulans, ut ajunt, vel contrastimulans, vel irritans: id, quod ipse alioquin abunde satis demonstrare suscepi, atque in hanc sententiam plures quidem hodie concurrunt, atque etiam ex fautoribus recentissimae doctrinae non pau-

ci. Quae vero, dum nausea torquet, in toto corpore contingunt, a stomachi motu inverso unice esse repetenda, manifesto constat ex hoc, quod aequali ratione semper usuveniant, quacumque caussa nausea excitata sit. Pallor igitur, pulsus debiles, frigus, horripilatio, caeteraque nauseam concomitantia rectius quidem nauseae ipsius effectus sunt dicendi, quam actionis illius, quam in stomachum res ingurgitatae exercuerant: ac propterea patet ex hoc nuperos dubiis admodum, fallacibusque duci argumentis, et indiciis, dum statuant ea phaenomena contrastimulantium actionem indicare, quae omnes corporis partes attingat.

26. Ast experientia nos certe hactenus docemur, alia ex iis, quae ingeruntur, consuetas stomachi vires sustinere, atque etiam augere, alia eas turbare subito, ac in stomachum descendunt, etiamsi modice sumantur, alia denique stomachi viribus ita subigi, ut penitus immutentur, et alibilem suppeditent lympham. Cum vero quidquid corpus nostrum non chemice, nec mechanice mutat, necessario vim vitalem ad motum impellere debeat, idcirco omnibus externis rebus stimulantium vir-

tutem inesse judicandum est; sed aliis vitae secundam, aliis contrariam, atque illam fortasse simplicem dumtaxat, et unam hanc vero multiplicem, variamque, et indeterminatam. Sicuti enim a recta linea per infinitas curvas deflectitur, ita corpus humanum a statu sano multis, variisque modis recedere potest: quae autem illud integrum servant, recto functionum ordini respondeant necesse est, et forte uniusmodi habeant virtutem; caetera vero, quaecumque sit eorum natura, et actio, idem perturbare queunt. Generalis igitur energia, qua res externae in corpore humano vitae phaenomena gignunt, atque sustentant, dividi tantummodo potest in tria praecipua genera, quorum primum est earum rerum, quae nutriunt, alterum comprehendit, quae ad rectum functionum ordinem servandum idoneae sunt, tertium denique omnes complectitur, quae hujusmodi obsunt ordini. Sed istas, ut variae sunt naturae, atque ignotae, ita nec e diametro iis, quae rectum functionum ordinem tuentur, adversari credendum est, nec utrarumque effectus vicissim in corpore humano destrui. Facultas vero nutriendi, vel aliquo modo organicam fibrae,

et humorum compositionem immutandi, omnibus convenire potest, adeo ut probe distinguenda sit ab ea, quae in motu vitali accidit, mutatione ob simplicem rerum externarum attactum fibras impellentem. Haec enim desinit simul, ac tollitur caussa impellens, altera plus, minusve persistit, etiamsi ea sit semota. Sic res externae vel mechanico-vitali, vel chemico-vitali ratione viventium organa afficiunt. Quae hodie irritantia vocant, ad primum hujus generis pertinent, in altero quae appellant stimulantia, et contrastimulantia, aeque continentur. Unde nunc facile intelligi potest, quam incongruens sit ea, quae hodie profertur de irritantibus, stimulantibus, ac contrastimulantibus distinctio. Etenim cum omnia primo attactu fibram mechanico-vitali ratione commoveant, est cur dicere possimus, omnium quoque primam actionem ad irritantem vim pertinere; cum vero postea chemico-vitali modo organa afficiant, ad stimulantia, vel contrastimulantia essent revocanda. Ideo quae mechanico-vitali ratione in fibram agunt, non semper functionum ordinem subito pervertunt, ac propterea non omnia, quae irritare dicuntur, vitae sunt inimica. Opium

intus sumptum, antequam aliquid sui ponderis ammittat (id quod exploratur, cum per vomitum rejiciatur) stomachi, atque per sympathias aliarum partium motus excitat, sensumque affert grati roboris, atque caloris, neque alio modo, nisi mechanico-vitali actione hujusmodi effectus producere potest, qui proinde ad irritationem referri deberent. Primo attactu igitur res externae in viventium organis eam producunt irritationem, quam recentiores docent; ob subsequentem vero eorum actionem vel rectum functionum ordinem adjuvant, vel laedunt chemico-vitali occulto modo. Quamobrem stimulantia, vel potius corroborantia nuncupari posse, quae functionum integritati inserviunt, non inficiar; sed analeptica aptius dicenda esse mihi videntur. Ex his tamen alia cursim, raptimque vitae functiones excitant, alia diutinos producunt effectus; unde analepticis ea, quam de diffusibilibus, et de permanentibus stimulis recentiores profitentur, distinctio optime congruit; sed permanentia tonicorum nomen merentur. Quae denique functiones subito laedunt, pervertentia, vel alterantia dici possunt, genere tamen varia, pluribusque instructa

virtutibus. Igitur in universum remedia juxta verum usum recte interim diduci possunt in *nutrientia*, *analeptica diffusibilia*, *tonica*, et *pervertentia*.

27. Cum autem fibra analepticis diffusibilibus nimium percutitur, inflammari potest; quod tamen fieri nequit, nisi ob consequentem fluxionem, aliasque cooperantes caussas, cum ab iis afficitur, quae pervertunt. Et quoniam sanguis magnopere analeptica, et tonica vi pollet, atque in parte phlogosi correpta magna ejus copia sistit, necessario hunc morbum ii comitantur motus vitales, qui aequum servarent functionum ordinem, ni essent nimis vehementes. Hinc efficitur, ut ad sanationem inflammationis per se nequeant conducere analeptica, pervertentia vero innocue perferantur, aliquando etiam prosint. Ex quo facile ratio colligitur, cur recentiores hac perspicua effectuum discrepantia illusi eam statuerint stimulantium, et contrastimulantium distinctionem, quae quidem non parum praxi medicae intulit detrimenti. Neque hic profecto est locus ea utendi lege, quam dicunt de contrariis, quamque saepius fortasse, quam par erat, usurpaverant. Etenim tunc solum ea recte

adhibetur, cum duabus rebus sibi invicem contrariis perspectis superest tantum, ut inquiratur, quae sit, cujusque natura: tunc enim unius natura detecta, alterius necessario desumitur: ita, si exempli caussa, ex duabus substantiis tu scias alteram esse calidae, alteram frigidae naturae, quemadmodum Scholastici loquebantur, cum frigidam teneas, alteram esse calidam necessario inferes. Sed non ita res se habet, cum agitur de remediorum virtute in corpus humanum. Eorum enim deprehenduntur effectus non reapse duabus dissimilibus naturis praediti, sed inter se ipsos ob id tantum contrarii, quod alii vitam integram sustinere, alii perturbare valeant; at quanam ratione, seu quanam eorum virium natura id efficiant, profecto ignoratur omnino; ideoque utriusque generis remediorum virtus aeque incognita est. Qui igitur ex incognitis argui possunt incognita?

. . . .

Justam ob caussam jam typis mandaveram quae hactenus scripta sunt, existimans me interim, quae reliquae erant,

posse persequi. Tractanda enim supererant, quae de remediorum sedante, ac adstringente virtute licet haud dubie excogitare; et quantum utilitatis ex his manare posset in aegrotantium curationem nitide exponendum erat, omnibusque Scholasticorum contentionibus extricandum. Postremo vero de iis remediis dicere oportebat, quae quia maxime propria sunt cuilibet morbo, specifica, vel absolutoria nuncupari consueverant, a recentioribus forte nimis inconsulto neglecta: atque etiam ostendere quonam pacto investiganda, ac judicanda esset eorum virtus, quomodo in morbos usurpanda, et quae tunc habenda ratio distinctionis, quam inter directas, et indirectas morborum curationes in Pathologia Analytica declarare sum conatus; opus quidem non inutile: adeo ut ex his omnibus, iisque quae supra perstrinxi, fas esset corollaria depromere, quibus remediorum usus in morbos accuratius statuerentur, ac dignosci posset, et quando eorum virtus particularis, et quando generalis eorum actio, et quando specifica ipsorum efficientia in aegrorum levamen esset revocanda, atque adeo regulae praxeos medicinae praescri-

berentur, non quidem simpliciores, quam illae, quas recentiores profitentur, sed magis naturae legibus consentaneae, magisque aegrotantibus proficuae. Sed dum superior pars subjectis praelo typis excudebatur, et animum ego intendebam ad ea, quae supererant, digerenda, atque scribenda, mortifere aegrotare coepit amantissima uxor mea; cujus fide et amore summopere recreabar, quae mensem, et ultra heu! quam miserrime, in eo semper fuit, ut animam agere videretur; tandemque post diram aegritudinem, poenasque infandas extremum obiit diem. Profecto carissimae uxoris morbus asperrimus, ac lethum acerbum tanto me affecit dolore, ut nullus major cuipiam mortalium. Propterea si mihi ante jucunda erat hujus libri confectio, nihil omnino postea fuit, neque est adhuc, quo toedium, et cura levetur; nec aliud, nisi meum tristissimum casum in mentem obvolvere sum capax. Veniam igitur a sapientibus quaeso, si opus nimis imperfectum typis evulgare coactus sum. Si quando vero doloris mei aliquantulum temperetur acerbitas, et ani-

mus aliquid agere poterit, inchoatum opus rursum suscipere conabor, dummodo ea quae jam pertractavi, non indigna, quae accipiantur a sapientibus, videbuntur.